

www.e-rara.ch

Theatrum concionum sacr. topicum

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VIII - de ecclesia Christiana una, sancta & catholica : de communione sanctorum, & ecclesiae notis atque fatis : de externa ecclesiae administratione, ministerii functione, & disciplina ecclesiastica ... : cum adiectis indicibus necessariis, ...

Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus

Basileae, ann. Chr. 1691

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80003>

Cap. XXXIII

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Lib. I. Cap. XXXIII.

De Libertate Christiana.

Johann. cap. 8. v. 31, 32.

vel

Galat. cap. 5. v. 1.

In libertate igitur, quâ Christus nos liberavit, perstate, & ne è contrario implicamini Servitutis jugo.



Res magnos & inestimabiles thesauros, ex liberalitate Clementissimi Dei nostri, Ecclesia Christiana possidet, 1. Evangelicam veritatem. 2. Veram Sanctitatem. 3. Christianam libertatem. Quæ tria Ecclesiæ Christianæ bona, tres sunt charites, vel sorores, quæ se mutuo amabiliter complectuntur, nec ab invicem se divelli patiuntur.

I. Evangelica veritas primum bonum est, à Filio Dei, è Patris sinu allatum, Joh. I. 18. quod dicitur λόγος τῆς χάριτος τῆ Θεοῦ. Act. 14. 3. λόγος τῆς εὐαγγελίας, Act. 15. 7. λόγος δικαιοσύνης, Hebr. 5. 1. λόγος τῆς ἀληθείας, 2. Cor. 6. 7. λόγος ζωῆς, Phil. 2. 16. λόγος Θεοῦ ζωῆς, 1. Pet. 1. 23.

II. Vera Sanctitas, alterum bonum est Ecclesiæ Christianæ, ex quo Ecclesia, Sancta, & Communio Sanctorum dicitur. Sicut enim veritas cælestis in illa docetur, ita vera Sanctitas & justitia, à quibusvis illius membris exercetur, Luc. 1. 75.

III. Christiana Libertas, tertium bonum est Ecclesiæ Christianæ, in quam Christus, nos è manu inimicorum nostrorum liberatos asseruit, ut ei posthac sine metu serviremus. Luc. 1. 74. De hac libertate ipse Christus pronuntiat, Joh. 8. v. 31, 32. Si manseritis in Sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem & veritas vos in Libertatem vindicabit.

In ista Libertate, quâ Christus nos liberavit, Paulus nos perflare jubet, Gal. 5. 1. ne è contrario iterum implicemur Servitutis jugo.

In verbis Christi, Joh. 8. 31, 32. habemus

I. Præ-

I. Praclaram promissionem excellentium bonorum, Nempè

a. Discipulatus Christi, quo major & exoptatior homini in terris honor contingere non potest, quia ipse verax est praeceptor, quã viam Dei in veritate docet, &c. Matth 22. 16.

b. Agnitionis veritatis, hoc est, omnium mysteriorum factis.

c. Libertatis Christianae, in quam veritas nos sit vindicaturus

II. Expressam dominationem illorum, quibus excellentia ista bona promittuntur, nempè permanentibus & perseverantibus in sermone Christi, hoc est, in doctrina Evangelij de reconciliatione generis humani cum Deo: & in obedientia, verbis & præceptis ejus præstanda.

Ex verbis Pauli Galat. 5. 1. colligitur,

I. Jugo servitutis nos omnes naturã esse obnoxios.

II. Populo Dei vindicationis in libertatem beneficium ex gratia per Christum obtigisse.

III. Officium igitur nostrum esse,

a. In Libertate Christiana, & doctrina Evangelij, libertatem istam revelante, firmiter perflare, eamque animosè & constanter tueri.

β. Jugo Servitutis, è qua exiimus, non iterum implicari. Uterque locus Christi, & Pauli, sedes sunt Doctrinæ

DE LIBERTATE CHRISTIANA, in quam ex servitute peccati & Satanæ, per Christum sumus vindicati.

Notandum hîc est, servitutem esse duplicem: & duplicem quoque Libertatem.

I. Servitus duplex est, vel Corporalis, vel Spiritualis.

1. Servitus Corporalis, conditio est, quã quis Domino alieno, contra naturam, subjicitur, cujus servitutis introductæ aliquot observantur species.

1. Quã quis, accepto pretio, se ipsum alijs in servitutem tradit,

VVVVVV

2. Quã

2. Quâ quis, ob delictum, ad servitutem, triremes, aut publica opera condemnatur.

3. Quâ quis, à piratis aut latronibus, qui ipsum captum, mancipium fecerunt, emitur.

4. Quâ quis, qui solvendo non est creditori suo, compedibus vincitum in servitutem traditur, qui mos Lege XII. Tab. apud Romanos vigebat.

Corporalis illa servitus, res est maximè miserabilis, quod ex servorum olim, apud Romanos & Barbaros, conditione patet. Misera servitute premebatur Joseph in Ægypto, antequam mirabili Dei Providentiâ, vinculis suis liberatus, exaltabatur. Gen. capp. 39. 40. Duram Servitutis sortem experti fuerunt Israëlita, Exod. I. v. II. seqq. Et Simson apud Philistæos. Jud. 16. 21. Apud Romanos, Dominis in sua mancipia vita & necis fuit potestas. Ecquis condignè effari potest, quantâ tyrannide premantur, qui hodie vel à Turcis, vel à Tartaris bello capti, in miseram servitutem abripiuntur? Hoc servitutis malum primo hominis lapsui suam debet originem, qui integer & liber creatus, Diabolo, quàm Deo, in Paradiso obedire & servire maluit. Atque hinc malo huic, etiam Imperatorio & Regio stemmate nati, implicantur. Nota enim est historia Regum, à Sesoistre, Rege Ægypti bello captorum, & equorum instar, trahendo suo, tanquam victoris, curru, adhibitorum. Nec quemquam opinor latent Tamerlani & Saporis historia, quorum ille Bajazetem I. magnum Turcarum Imperatorem bello captum ferreæ caveæ inclusum secum per suas Provincias circumduxit: Hic verò, Rex Persarum, Imperatorem Valerianum, infauftum Principem, in Mesopotamia prælio victum, quam diu vixit, in miserabili servitute detinuit, toties, quoties equum conscendere voluit, incurvati Imperatoris cervici pedem imponendo.

1. Servitus spiritualis longè est deterior,

a. Quia in hac Homo irrogenitus servitium præstat Satanæ, Serpenti Veteri, Draconi infernali, immundis spiritibus, pravis corruptæ & peccatricis carnis affectibus, avaritiæ, gulæ, crapulæ, libidini, & omnis generis sceleribus, &c. Joh. 8. 34.

b. Quia Servitus est vilissima, vitiosissima, turpissima, durissima, & nocentissima.

a. Vilissima, quia homo, sub hac, affectuum & cupiditatum suarum est mancipium.

b. Vitiosissima & turpissima, quod in avaris, ebriosis & libidinosissimis ap-

sis apparet, qui etsi his peccatis aliquid voluptatis inesse opinentur, tandem tamen deprehendunt, venanates fuisse, & mortiferas Saccharo obductas pilulas.

c. *Durissima & fallacissima*, Aureos servis suis, peccati mancipiis, Satan pollicetur felicitatis montes, sed promissa sua magis perfidè fallit, quàm Laban, qui promeritam & promissam mercedem, decies Jacobo intervertit. Gen. 31. 41. Mercedem servitii sibi præstiti, Satan æternum tandem solvit exitium.

d. *Nocentissima*. Servus non manet in domo hæres. Etsi servi Satanæ & peccati, inter filios Dei, in magna ejus in hoc mundo familia, ad tempus commorentur, ejiciuntur tamen tandem ex illa, in ignem æternum, Matth. 22. 13. & c. 25. v. 41, 46.

In spirituali hac, longè deterrima servitute, *detinemur omnes inde à miserabili lapsu primorum Parentum nostrorum,*

αα. NATVRA. In peccatis enim concepti & nati sumus, Psal. 51. 7. Rom. 5. 12. Hinc *naturâ sumus amentes, rebelles, errantes: Servimus cupiditatibus & voluptatibus variis*, Tir. 3. 3. metu mortis per omnem vitam obnoxij servituti. Heb. 2. 15. adeoque *flij ira*. Eph. 2. v. 3. *Quomodo lapsus primorum Parentum nostrorum, nos feriat atq; implicet*, Parte V. Theatri nostri, pag. 83. seqq. prolixius explicavimus.

ββ. ACTV IPSO, quia singuli, *ante regenerationem nostram, sanctissimam Dei legem, quæ Divinæ voluntatis regula atque norma est, transgredientes, membra nostra, arma justitia, peccato sistimus*, Rom. 6. 13. & *serva iniquitati atque impuritati ad patrandam iniquitatem*. Rom. 6. 19. sicque *captivi detinemur à Diabolo ad præstandam illius voluntatem*, 2. Tim. 2. 26. Hinc *de irrogenitis Scriptura pronuntiat, quòd venditi sint, amissâ scilicet filiorum Dei libertate, in servitutem peccati ad faciendum malum*, 1. Reg. 21. 20. Quotquot igitur in peccatis suis irrogeniti perseverant, peccati, Satanæ & inferni servi atque mancipia sunt. *Nulla autem Servitus durior, turpior & nocentior, quàm qua pudendis sub Dominis, quales hi sunt, toleranda est*, ex hac servitute fructum alium non habemus, quàm cujus nos meritò pudere debet, quia finis ejus mors est. Rom. 6. 20, 21. quam Lex Dei omnibus illis comminatur, qui eam transgrediuntur, Deut. 27. 26. Confer, Theatri nostri Part. V. pag. 312. 313. Item p. 432. seqq.

II. Sicut *Servitus duplex est, Corporalis & Spiritualis*, ita quoque LIBERTAS.

a. *Libertas Corporalis*, pretiosus est thesaurus, & inestimabile bonum. Aurea libertas, auro pretiosior omni. Sine Libertate, nihil bonum est, nihilq; expetendum hominibus. Plutarch. in Agef. propterea bonorum humanorum maximum, quia, ut Livius ait, satis in se ipsa habet dulcedinis. De Libertate corporali heic non agimus, sed de spiritali.

b. *Spiritalis ergò Libertas Christianorum*, gratuita manumissio est, quâ fideles per Christi meritum à tyrannide peccati, à potestate Satanæ, ab execratione Legis, & ejus rigore, à metu mortis æternæ, ab onere ceremoniarum Leviticarum, & jugo Traditionum humanarum, in libertatem afferuntur, quam etiam circa Leges humanas, circa Ceremonias & ritus sacros, circa adiaphora item, & indifferentia, tuentur, ut per Spiritum S. renovati, spontè deinceps & alacriter Deo serviant, ad ipsius gloriam, ad proximi ædificationem, & suam ipsorum salutem.

Operæ pretium est, heic observare :

- I. *Quis hanc Libertatem pepererit, & quibus?*
- II. *Qualis illa sit, & qua beneficia complectatur?*

I. *Quis hanc Libertatem pepererit? & quibus?*

1. *QUIS?* Peperit hanc Dominus noster Jesus Christus, unicus ille Mediator inter Deum & homines, 1. Tim. 2. v. 5. qui Rom. c. 11. v. 26. appellatur ὁ πρῶτος, Hebr. מוֹדֵל, Liberator seu vindex ille è Sione oriundus, qui semet ipsum in λύτρον & redemptioni pretium pro nobis dedit, nos è miserabili illo statu servili, in quo detinebamur, in Libertatem potenter afferuit, hæredes Dei constituit, & Libertatem istam acquisitam, Spiritu suo Sancto insuper in cordibus nostris obfignat, ut ad depellendos varios tentationum insultus nos fortiores, & ad cultum Dei obeundum alacriores redderet. Beneficium, quod nullis nostris transcribendum est meritis, sed soli Dei gratiæ & singulari benevolentia, cujus unius commiseratione, Oriens ex alto nos invisit, nobis in tenebris & umbra mortis apparuit, Luc. 1. v. 78, 79. nos è manu inimicorum nostrorum liberavit, ibid. v. 74. & liberatos è potestate tenebrarum, atque in Regnum filii sui dilecti translatos, idoneos fecit ad participandam sortem Sanctorum in luce. Col. 1. 1 2, 1 3.

2. *Quibus peperit hanc Libertatem?*

Non alienis à federe Dei, non existentibus extra pomæria Ecclesiæ: nec etiam Hypocritis in ipsa Ecclesia externa & visibili, qui Christianorum quidem nomen mentiuntur, Christum tamen verâ, salvificâ, per charitatem & opera efficaci, fide nunquam amplectuntur. Etsi nomen hi, quod vivant, habeunt, quia tamen in peccatis mortui sunt, liberi non sunt, sed servi peccati. Rom. 6. v. 20. Nec alia est illorum Libertas, quàm fides, imaginaria nempe, & fictitia, non vera & realis.

Sed juxta aeternum Dei propositum electis, & verè credentibus. Magnitudo quidem hujus beneficii, pro diversa gratiæ divinæ mensura, alijs magis, alijs minus est cognita, cuique tamen fideli sufficienter ad salutem communicata.

II. *Qualis est illa per Christum parata Libertas? & qualia complectitur beneficia?*

Libertas hæc gradus suos habet, Initia, & plenam perfectionem. INITIA illius, fideles in hac vita obtinent, dum in via sunt ad Patriam cœlestem.

Plenâ illâ, & perfectâ fruuntur, qui in Patria jam appulerunt.

Libertas illorum, simpliciter in Scriptura S. appellatur λύτρωσις. Luc. 2. 38. Hebr. 9. 12. & ἀπολύτρωσις, Rom. 3. 24. Col. 1. 14.

Horum verò ἀπολύτρωσις τῆς ἀελπίστου, liberatio & libertas plena atque perfecta. Eph. 1. v. 14.

Illâ communiter LIBERTAS GRATIÆ vocatur: Hæc LIBERTAS GLORIÆ.

A. LIBERTAS GRATIÆ, sine qua Libertas Gloria obtineri non potest,

vel Communis est omnium temporum in V. & N. T. fidelibus, vel Specialis est immunitas fidelium Novi Testamenti.

Notandum Prior illa omnium temporum V. & N. Test. fidelium Communis, fructus est aeternæ electionis, & ab ea dependentium beneficiorum, Vocationis juxta propositum, gratuitæ justificationis & sanctificationis, cui beneficio triplici, Libertas Christiana nexu coheret individuo.

a. Per vocationem juxta propositum, liberatur

a. Mens nostra à servitute ignorantia & incredulitatis. 2. Cor. 4. 6.

b. Voluntas nostra à servitute inobedientia. Act. c. 9. v. 6. Psalm.

c. Et nos ipsi à *Servitute Sathana*, qui ante regenerationem nostram in nobis operabatur, Eph. 2. 2. 2. Tim. 2. 26. *Tyrannidus hujus abolitio*, jam in Paradiso, mox à lapsu promissa fuit, Gen. 3. v. 15. & per Christum Θεανδρωμον in effectum data, qui patefactus, ut opera Diaboli dissolveret, 1. Joh. 3. 8. validior, illum invasit, vicit: & nos ex potestate illius eripuit. Luc. 11. 22.

β. Per gratuitam *justificationem*, liberamur

aa. A peccati reatu, qui nos, dum eo tenemur, ad pœnam obligat, & damnat, Rom. c. 8. v. 1. *Gratiosè ab hoc nos absolvit Christus*, Matth. 9. 2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua*. Confer Es. 44. 22. 1. Joh. 1. 7. Hebr. 9. 14. Rom. 8. 33. 34.

bb. Ab *intentata maledictione Legis ad minimum delictum*, Deut. 27. v. 26. Jac. 2. v. 10. *Quam maledictionem & pœnam promeritam Christus in se suscepit*, 2. Cor. 5. 21. & nostro loco luit, Dan. 9. v. 24. *factus execratio pro nobis*, Gal. 3. 13. *ut benedictio Abrahamæ extaret in nobis*, & ut promissum illum Spiritum acciperemus per fidem, Ibid. v. 14. Confer, Rom. 8. v. 3. 4. & suprâ p. 92. 1. & p. 928.

γ. Per *Sanctificationem* liberamur

αα. A culpa peccati: non quidem ab omni ejus, dum hic vivimus, inhæsiōne, inhabitatione, & pondere nos circumcingente, Hebr. 12. 1. 1. Joh. 1. 8. Jac. 3. 2. *Sed ab ejus dominio*, per concupiscentiarum carnalium, & actionum carnis mortificationem, quâ dominium peccato, in mortali corpore nostro, per gratiam Spiritus Sancti, non amplius permittimus, Rom. 8. 13. cap. 6. 12. Col. 3. 5. *sed liberati à peccato, & justitiæ mancipati*. Rom. 6. 18. & 14. non jam secundum carnem, sed secundum spiritum incedimus. Rom. 8. 2.

ββ. A *Legis moralis non obedientia, sed rigore in exactione obedientiæ*. Ab obedientia Legis, nos per Christum redempti fideles, non eximimur: non enim ἀνομοι & exleges sumus, quia Lex æterna & immota est, sicut justitiæ divinæ, ita etiam obedientiæ nostræ regula, sine qua nemo novit, quid Deus sit, quomodo coli, vel quid à nobis fieri aut vitari velit: hinc nostram cum Lege divina conformitatem Paulus, Rom. c. 6. v. 15-18. *emphaticis à nobis requirit verbis*.

A rigore verò Legis, in quantum contradistinguitur gratia, Rom. 6. v. 14. *in exactione obedientiæ, sumus liberati*.

Rigor iste Legis moralis, à quo per Christum sumus liberati, consistit,

a. In *exactione perfecta obedientiæ, sine promissione gratiæ sanctificantis*.

b. In

b. In postulatione Sanctimonia consummatissima, per ipsum hominem præstandæ, tanquam conditionis ad vitam æternam consequendam.

c. In comminatione maledictionis & pœna, vel minimum Legis præceptum violanti. Jac. 2. 10. Qui Legis rigor ad sedus operum perinet, quod, fidelium respectu, per introductionem federis gratia in Christo, antiquatum.

aa. Quando igitur Lex Moralis, à cujus obedientiæ vinculis non sumus soluti, perfectam in sanctificatione nostri obedientiam à nobis requirit, Evangelium gratiam sanctificantem nobis promittit, 1. Cor. 6. v. 11. 1. Thess. 5. 23. & Lex obedientiam illam nostram inchoatam, etsi imperfectam, acceptat, atque in ea, propter perfectam sibi, loco & vice nostra, à Christo Sponsore, Mediatore & Redemptore nostro, præstam, acquiescit.

bb. Quia à Legis, perfectam obedientiam ad nostri justificationem, præcisè requirentis rigore, per Christum Sponsorem nostrum liberati sumus, sumus quoque liberati

* A Legis terrore, qui metum servilem in cordibus nostris excitaverat. Vide, quæ de Spiritu Servitutis ex Lege, supra diximus pag 1008.

** Ab ejusdem irritatione, aut provocatione ad peccatum. Rom. 7. 11. peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, &c. Hæc irritatio in homine, non fit culpâ Legis, quæ semper bona, justa & sancta manet, v. 12. sed vitio corruptæ naturæ humanæ, quæ nititur in vetitum semper, cupitque negata. Homo verò regentus & sanctificatus, per gratiam Dei, aliam jam in se Legem, & sanctiores sentit motus, quibus animus ejus ad pietatem & virtutem existimatur, Spiritus nempe Sancti, unde Paulus Rom. 8. 14. Quotquot Spiritu Dei ducuntur, sunt filii Dei.

Quia maledictionis legis effectus, etiam mors est corporalis & æterna, unde Hebr. 2. 15. propter peccatum, per omnem vitam, mem mortis, servituti obnoxii dicimur, priusquam Christus per abolitionem illius, qui mortis imperium habuit, liberos nos reddidit.

Quæritur :

Cur, qui à peccati reatu, culpa & pœna, per Christum liberati sumus, morti corporali, quæ Rom. 6. v. 23. peccati stipendium dicitur, adhuc subjecti sint?

R. Christus nos justificatos & per Spiritum suum Sanctum sanctifica-

Etificatos, à morte maledicta, tam respectu corporis, quàm animæ, perfectissimè liberavit.

a. Respectu animæ, quando nos justificatos, adoptavit, regeneravit, & sanctificavit, ut integer nosser Spiritus, anima & corpus inculpate serventur in adventum Domini nostri Jesu Christi, 1. Thess. 5. 23.

b. Respectu corporis, ut, etsi corpora fidelium moriantur propter peccatum, Rom. 8. v. 10. mors tamen illa, aculeum suum amiserit. 1. Cor. 15. 55. adeoque non nisi finis sit peccati atque miserie, & transitus ad vitam æternam. 2. Tim. 4. 18. Joh. 5. 24. Hæc ratione, mors fidelium, non est consideranda, ut pœna proprie dicta, vel ut horribilis excandescencia divina effectus, homini in peccatis perseveranti imminens, Joh. 8. 51, 52. Neque solum modo formale pœna, à morte fidelium est sublatum, sed quicquid etiam ad mortis reliquias pertinet, per gloriosam tandem resurrectionem quoque abolebitur. 1. Cor. 15. 54. Sicut igitur vera à peccato libertas homini fideli, quoad jus in justificatione addicitur, sed, quoad exercitium, certis quibusdam gradibus paulatim perficitur, ita etiam maledictio, & ut ita dicam, pœnalitas, respectu mortis corporalis aufertur, quam primùm aliquis Christo vitæ fonti per fidem inferitur, potestas verò illius omnis, demùm in resurrectione mortuorum in victoriam absorbetur: sicque sicut mors corporalis, maledicta impiis pœna, & quoddam quasi inferorum suburbium est, ita eadem pijs exoptata, & cœlestis habitaculi ἡμετέριον.

¶ Ad Libertatem Fidelibus in Veteri & Novo Testamento communem, pertinet etiam Libertas à preceptis, mandatis, atque imperio hominum, in genere cultûs divini circa actus religiosos, quâ tales, quia in hominum conscientias solus Deus habet imperium, quas per Legem libertatis judicari Jacobus cap. 2. v. 12. pronuntiat. Soli Deo obnoxia est conscientia, quæ alieno arbitrio, in Regno Dei, se regi non patitur, nec ullum hominem judicem fert. Confer, quæ suprâ, Concione de Fatis Ecclesiæ pag. 269. seqq. diximus. Filiis Dei, qui non auro & argento, sed pretioso Christi Θεανθρώπου sanguine sunt empti, fas non est, servos fieri hominum, 1. Corinth. c. 7. v. 23. Coloss. c. 2. v. 18, 22, 23. Matth. c. 15. v. 9. Etiam si olim Scribæ & Pharisei, in Mosis federint cathedra, nunquam tamen illis, novis, præter Legem Dei, institutis, conscientias onerare licuit. Deut. c. 4. v. 2. Semper in Religione, Deo displicuit, quod suo quisque arbitrato excogitavit: Ad legem & testimonium aligamur, Esaj. 8. v. 20. hæc nostra Libertas est.

Hæc

Hæc fidelium Vet. & Novi Testamenti communis Libertas, *privilegium est federis Gratia*, cujus utriusque Testamenti fideles participes sunt, *hoc solo cum discrimine*, quod hæc in Novo Testamento clariùs exponitur, frequentius inculcatur, uberiùs & efficacius per Spiritum Christi applicatur, & gloriosioribus effectis, conscientiiis nostris, ad majorem illarum consolationem & lætitiã, insinuatur & demonstratur.

3. *Post communem utriusque Testamenti fidelium Libertatem, ad specialem accedimus, fidelibus Novi Testamenti peculiarem, quæ concernit*

1. *Ceremonias & ritus sacros.*

2. *Res adiaphoras atque indifferentes.*

3. *Libertatem, quam sub Christo habent Superiores, Subditi, & singuli fideles.*

α. *Fidelibus Novi Testamenti propria est Libertas, sive manumissio à servitute elementarum Mundi, & exemptio à Lege Ceremoniali atq; Forensi Mosaica, quæ utraque Legis Moralis appendix fuit, & illa quidem Ceremonialis, prima: hæc verò Forensis, secunda tabulæ. Illa præceptiones continebat Ecclesiasticas, Vide Theatri nostri Part. VI. p.148. seq. hæc Civiles. Vide ibid. p.869. seqq. utraque operosissima fuit, & jugum intolerabile, Act.15.10. sicque ejus abrogatio Populo Christiano beneficium inexplicabile.*

a. *Lex Ceremonialis lentè abrogata est, plenariè tamen in destructione Templi Hierosolymitani, tanquam loci in quo cultus Ceremonialis peragendus erat, Vide Theatr. nostr. Part. VI. pag.166.167. ita quidem, ut si quis Legem Ceremonialem refodere & revocare vellet, hoc ipsum illi jam mortiferum & lethale esset, Gal.5.2.*

b. *Lex forensis sic abolita est, ut, quæ in ea juris sunt communis, vigorem suum retineant: quæ verò juris particularis, Judæis, quæ talibus, lata, ea Christianos non obligent. Vide Theatr. nostr. Part. VI. p.871,872.*

Observ.

I. *Esti Lex Ceremonialis & cultus Levitici ritus in Vetere Testamento Christi typici, per Christum exhibitum sint abrogati: non tamen omnes ritus Sacri & Ecclesiastici, quæ Ecclesia decoro conveniunt, ex cultu Religiosi Novi Testamenti sunt sublati, in quo etiam omnia ordine & decen-ter fieri debent. 1. Cor.14.40. Vide Theatr. nostr. Part. VI. pag.848. seqq.*

II. *Ceremoniarum autem Ecclesia Romana farraginem tanquam superstiosam, otiosam, sacrilegam, idololatricam, blasphemam & intolerabilem, omnino rejicimus. Vide Theatr. nostr. Part. VI. pag. 873. seqq.*

β. *Libertas circa adiaphora & indifferentia.* Adiaphora, media & indifferentia Nazianzeno ea dicuntur, quæ nihil in suo genere legis habent, & neq; præcepta, neq; prohibita sunt, sed licita instar nummi nondum signati, sed signandi, quibus moralitatis characterem, non nisi Lex Dei imprimit. Quæcunque ergo media, & indifferentia sunt, ea ex modo agendi vel bona vel mala fiunt. Ita edere, bibere, res simpliciter media & indifferens est, quam Deus ut actionem virtutis aut vitii, nec præcepit, nec prohibuit. 1. Cor. 8. 8. Interim, quando edimus vel bibimus, ad gloriam Dei id facere jubet Apostolus 1. Cor. 10. 31. ita, quod indifferens est per se, bonum fit per modum agendi: sed idem quoque per modum agendi, malum: Sicut enim puris omnia pura, ita vel ipsa pura & munda immunda fiunt illis, quorum inquinata est mens & conscientia. Tit. 1. 15. atque hinc ipsi Prophetæ execrantur illos, qui domum domui & agrum agro conjungunt, Esa. 5. 8. qui in lectis eburneis dormiunt, & in conviviis unguenta & Musica instrumenta adhibent, Amos 6. 4, 5, 6. quæ omnia per se spectata, illicita non sunt: illicita autem fiunt, quando nimis avidè appetuntur, superbè ostentantur, & luxuriosè profunduntur.

Libertatis hujus notitia, valdè necessaria est, quia sine hac, nulla conscientis est quies, nec ullus superstitionum modus & finis, propter varias Satanæ technas, qui periculosos atque exitiales ex nugis & quisquiliis animabus nodos atque laqueos neçtere solet, Rom. 14. 5. hinc, qui de esu carniùm, aut certo vestium habitu ambigere incipit, paulatim in aliis quoque rebus, obstrepentis sibi conscientiaë scrupulos sentiet, & in inextricabili tandem labyrintho hærebit & errabit: Rerum enim indifferentium usus, illis indifferens & licitus non est, qui superstitionis effascinati sunt opinionibus, quia anxius animus & fluctuans conscientia, dubitantem non minùs à licitis, quàm ab illicitis cohibet, unde, quicquid ex fide non fit, peccatum est. Rom. 14. 23.

Rerum ergo adiaphorarum & indifferentium usum, tria cumprimis moderari debent, Vera Religio, Fides & Charitas.

a. *Vera Religio*, quæ nos Deo religat, & animum nostrum rectè credere, os credita confiteri, & totum hominem, per renovationem mentis transformatum, bene operari, & voluntatem Dei facere docet, Rom. 12. 2.

b. *Fides*,

b. *Fides*, omnium virtutum Christianarum fundamentum, quæ fidelem hominem in animo suo certum facit, rem, quam agit, Deo non displicere, unde conscientia ejus non ampliùs hæsitat, aut labem actionibus suis aspergit. Rom.14.5.

c. *Charitas* non solum spectat, quid liceat, sed etiam quid expediat & adificet, 1. Cor. 10. 23. cum primis infirmorum sensu tangitur, quorum tenera pietati obicem non facile poni patitur. Roman. 14. 15. Si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundum charitatem ambulat. Ne escam tuam illi perdis, pro quo Christus mortuus est. Confer ibidem vers. 21.

Pro hac charitate, fratres infirmiores non sunt exacerbandi, sed spiritu lenitatis tolerandi, Galat. 6. 1. superciliosorum autem ingenium & fastus contemnendus: Illorum imbecillitas charitatis oleo curanda, horum hypocritica austeritas, sale scientiæ perfricanda, & Libertas per Christum parata, adversus omnes illius hostes, masculè defendenda, exemplo Pauli, qui, ut infirmos lucrifaceret, Timotheum circumcidit. Actor. 16. v. 2. Sed, ne Libertatem Christianam proderet, idem in Tito non sustinuit, Galat. 2. v. 3-5. Sicque ut Christus Phariseos Matt. cap. 15. vers. 14. ita Paulus falsos fratres offendere, nihil pensi habuit.

Observ.

I. *Quæcumque*, in Scriptura s. expressè vel præcepta, vel prohibita sunt, ea inter adiaphora numeranda non sunt.

II. Quia adiaphora, nec ipse Dei cultus sunt, nec pars illius, sed ritus tantum & ceremonia, ordinis & decori gratiâ institutæ, vel retineri possunt, vel abrogari, prout evidens Ecclesiæ utilitas requirit. Cognitio autem illa, non penès adversarios est, nec penès solum Magistratum, quasi illi propriâ autoritate, in cultu & ritibus Ecclesiæ, quicquid libet, mutare liceret, sed requiritur totius Ecclesiæ consensus, ut, quod omnes tangit, ab omnibus curetur.

γ. Libertas, quam sub Christo in Ecclesia N.T. habent omnes Superiores, Subditi, & singuli fideles.

aa. Superiores. Horum Libertas consistit in Nomothesi, five autoritate, in locum Legum Mosaicarum forensium & Ceremonialium, quæ abrogata sunt, Leges Civiles & Ecclesiasticas ferendi, sed tales, quæ Verbo Dei non repugnent, & ad executionem Legum Divinarum

Moralium, ad pacis item inter homines, & omnis boni ordinis conservationem faciant, & ita quidem, ut meminerint Politarchæ, potestatem quam habent, cœliùs acceptam, non esse illimitatam, nec quicquam sibi in hominum conscientias, juris esse aut dominii.

De Legum Ecclesiasticarum in Novo Testamento ratione, diximus in Theatri nostri Part. VI. pag. 834. seqq. Et de Legibus Politicis ibid. Part. VI. pag. 880. seqq. Legibus his Politicis & Ecclesiasticis, nec Ecclesia, nec Reipublica Libertatem suam eripere, sed Libertatis tantùm ad usum coercere debent, & scandalis publicis occurrere, qui Politicæ præfunt.

bb. Subditorum Libertas in hoc consistit, ut à jugo Legis Mosaica forensis & Ceremonialis exempti, absque ullo conscientia scrupulo, Ecclesia & Reipublica, in qua vivunt, Legibus Ecclesiasticis & Civilibus, qua Verbo Dei non repugnant, se submittant, dummodo agnoscant in illarum vel observatione, vel neglectu, perfectionem aliquam, præcisam necessitatem, aut ipsum cultum religiosum, non esse collocandum. Gal. 5. v. 1. Confer Theatr. nostr. Part. VI. p. 895. seq.

cc. Singulorum fidelium Libertas in hoc consistit, quòd sublato mundorum & immundorum animalium, quæ ad cibum adhibentur, discrimine, liberum habent omnium creaturarum usum, quas Deus in hominis bonum creavit. Omnes creaturæ, Dei sunt creatura, & nos filii Dei, quicquid ergò Patris nostri est, etiam nostrum est. Omnia vestra sunt, Paulus ait 1. Corinth. 3. v. 21-23. Puris omnia sunt pura, Tit. 1. v. 15. Matth. 15. v. 11. Roman. 14. v. 14. Quicquid creavit Deus, bonum est, nec quicquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. 1. Timoth. 4. v. 4. Dummodo nòrint, huic quoque Libertati suos esse limites, ne exerceatur cum præjudicio gloria divina, ad quam omnes actiones nostræ sunt referendæ, 1. Corinth. 10. v. 31. aut cum scandalo proximi. 1. Corinth. 8. v. 9. aut cum neglectu sobrietatis, modestiæ, humilitatis & frugalitatis. Ad libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem arripite, ut datam carni occasionem, sed ex charitate servite aliis aliis. G. 1. 5. 13.

B. Superest Libertas illa plena & perfecta, quæ Libertas GLORIÆ vocatur, quâ Sancti, hujus vitæ miseriis erepti, fruuntur in cœlo, & consistet non tantùm in perfectâ exemptione, ab omni peccato, & peccatum consequentibus miseriis, sed in æterna quoque ineffabilis gloriæ & beatitudinis cœlestis fruitione, Psalm. 16. 11.
Esa.

Eſaj.35.10. 1. Corinth.2.9. Pfalm.36. v.9, 10. De qua plura dicemus
Cap. 36. & ult. hujus Libri.

Uſus Didascalicus.

Ineſtabilitèr magnum eſt beneficium Libertatis Chriſtiana, quæ nobis non adnaſcitur, ſed poſt miſeram ſervitutem, in quam peccatum nos conjecit, ex ſingulari Dei gratia per Chriſtum conſertur.

Quò durior & immanior, Servitus noſtra ſub peccato & Diabolo, duriffimis & crudeliſſimis illis tyrannis, fuit, qui ſervos ſuos percutiunt, vulnerant, non ad momentum quietem illis concedunt, & tandem in foveam ab heri paratam, Eſaj.30.33. præcipitant, in qua vermis malæ illorum conſcientiæ ſemper rodit, & ignis non extinguitur, Eſaj.66. v.24. *ed præclarior, felicior & exoptatior eſt libertas, quâ Chriſtus nos liberavit*, Gal.5.1. Joh.8.v.32, 36. *qui nos è manu malorum eripuit, è manu violentorum redemit*, Jerem.15.21. & *vinctos è cisterna*, in qua nulla auxilii, ſolatii & felicitatis fuit aqua, *dimiſit*. Zach.9.11.

Peperit nobis hanc Libertatem Chriſtus

α. Pretioſo ſuo ſanguine, & juſtitiæ Dei, ex pacto ſponſionis, pro nobis perſoluto *λύτρωσις*. 1.Petr.1.18, 19. 1.Tim.2.6.

β. Per ſuam potentiam, quâ exſpoliata imperia & poteſtates palàm triumphatas traduxit. Col.2.15. & nos à poteſtate tenebrarum liberavit. Col.1.13. Eſa.42.7. Luc.11.22.

γ. Per manuſiſionem. In Adamo ad Imagem Dei creato, fuimus planè liberi: In ipſius lumbis incluſi, & cum ipſo in peccatum lapſi, ſervi & mancipia Satane & peccati facti ſumus: Per Chriſtum autem ex dura iſthac Servitute liberati, jam ſumus Libertini.

Servi apud Veteres Romanos, Libertini facti, manu mitti dicebantur, quæ manuſiſio certis fiebat ſolemnitatibus, quibus, qui ſervum libertate donare volebat, manu eum tenebat, quam, cum ſolveret, dicebat: *Hunc liberum eſſe volo*. Eodem ferè modo, Chriſtus nos è manu inimicorum noſtrorum, quibus ſerviebamus, liberatos, Luc.1.74. *vel quaſi manu mittit, libertatem nobis donat, fraternitatem exhibet, & hæreditatem promittit*, ut Auguſtinus loquitur: hæreditatem nempe filiorum, ut in æterna cæli domo maneamus, quando Servi inde ejiciantur. Joh.8.35.

Civilis Libertas, in rebus humanis, pro maximo beneficio semper est habita, & Viris Sapientibus servitus vice versa, pro extremo & ipsa morte duriore malo. Libertatem urbis Romæ, & privilegia civium illius Claudius Lysias, Actor. 22. 28. tanti fecit, ut jus illud magnâ pecuniæ summâ sibi comparaverit. Sed longè potiora sunt Libertatis Christiana privilegia.

Romani, qui libertatem suam, præ omnium aliarum Gentium libertate, commendârunt,

1. Non patiebantur ab extero se judicari iudice: sed patrium desiderabant.

2. Civem Romanum virgis cadere non licebat.

3. Quam diu Romanorum Liberi in patria potestate fuerunt, in militiam ablegari non poterant.

4. Liberos singuli cives Romani, ad quosvis honorum gradus consequendos, habuerunt aditum.

Sed privilegia Christianorum, in Libertatem per Christum vindicatorum, longè potiora sunt.

1. Non potest quisquam crimina adversùs electos Dei intetare, quia Deus Pater eos justificat, & Christus Servator absolvit. Rom. 8. v. 33, 34. Esaj. 50. v. 8, 9.

2. Dominus noster Jesus Christus, & Deus Pater noster, nos libertinos suos diligit, adversùs quorumcumq; plagas tuetur, consolationem nobis dat æternam, & spem honorum per gratiam. 2. Thess. 2. 16.

3. Liberi Christianorum, verè sunt liberi, & ex gratia federali, jam Sancti, 1. Cor. 7. 14. quorum Angeli faciem Dei Patris celestis omni tempore intuentur. Matth. 18. 10.

4. Liber veris Christianis aditus ad summos patet honores, ut sint λαός πρεσβίτης & τῶ θεῶ, Tit. 2. 14. & regale Dei sacerdotium, ornandi tandem coronâ vitæ. Apoc. 2. 10. & justitia. 2. Tim. 4. 8.

Ulus Informativus.

I. Nec Ecclesia, nec Reipublica legislationis facultas ad res per se bonas & malas extenditur, quasi illa vetari, hæc imperari possint: nec ullius periculi aut scandali metu turbari debemus, quo minùs, quod bonum est, faciamus, & quod malum, omittamus. Sicut enim Libertas charitati, ita Charitas fidei atque religioni totam se regendam subjicit.

II. Ritus Ecclesia N. T. sub libertatis Christiana titulo à fidelibus usurpandi, vel ab ipso Christo, vel ab Ecclesia sunt instituti: Illi divi-
ne, hi

na, hi humane autoritatis sunt: illi necessariò observandi, hi non temerè repudiandi: Cultum quidem & Religionem non constituunt, autoritatem tamen ordinis & decori habent.

Ufus ad Elenchum

I. *Judeorum*, qui, dum Servitute peccati penitè oppressi essent, tamen se liberos jactare ausi fuerunt, Joh.8.33. Et etiamnum hodie, *Jesum Christum vere Libertatis authorem ac vindicem aspernantes*, blasphemantes & rejicientes, *meram Libertatem externam*, ab imaginario suo, quem expectant, Messia sperant.

II. *Socinianorum*,

a. Qui liberum hominibus faciunt, *quancunq; Religionem amplectendi*, tanquam in earum quavis, per Libertatem Christianam, servari possent.

b. Libertatem Christianam interpretantur *liberationem à Veteris Legu nexu, & translationem ad legem perfectiorem*, quasi alias nunc Ecclesia Leges haberet, quàm olim habuit, & ea Libertas Ecclesiæ vocanda sit, quod Dominum mutavit: cùm enim Legem olim habuerit Dominum, Dominum nunc habeat Christum novum Legislatorem.

III. *Anabaptistarum*, qui sub prætextu Libertatis Christianæ à Subjectione Magistratûs Civilis se subducunt, & jugum ejus excutunt.

IV. *Antinomorum & Libertinorum*, qui, Legibus divinis & humanis calcatis, *res omnes nefariâ audaciâ, pro mediis & indifferentibus habent*, & Libertate Christianâ, quasi *omnis malitia velamentum esset*, I. Petr. cap. 2. vers. 16. ad omnium scelerum & flagitiorum licentiam abutuntur: *docentes*, Legem moralem planè abolitam esse, nec amplius in Ecclesia docendam, & *regemios, si maximè velint, non amplius peccare*, nec ullam eorum actionem Deo displicere posse: Imò verò se quasi *deificari*, & per Spiritum Sanctum ita moveri, ut quicquid patrent, non tamen peccent. At Christus à peccato nos liberavit, non ad peccatum: & à rigore legis, quæ per Christi obedientiam, vice nostra præstitam, & nobis imputatam atque donatam, sibi satisfieri patitur, Romanor. c. 8. v. 3, 4.

V. *Pontificiorum*,

a. Qui sub prætextu Libertatis Ecclesiæ, *Clericorum Magistratûs Civilis subjectioni subtrahunt*. Vide supra pag. 535. seqq.

b. *Qui*

β. Qui Ecclesiis & Theologis nostris Libertinorum dogmata scophanticè affingunt, cum tamen hi Pontificiis Doctoribus stertentibus, & Bacchanalia viventibus, primi eos detexerint & confutârint.

γ. Sed hic mos est Pontificiorum, suam alius scabiem affricare velle. Quis enim patientiorem Libertinifimo portam aperit, quàm ipsi Pontificii? quando vel scelestissimos homines, Papatum indulgentius, & sacrificulorum, pecuniæ interventu, absolutionibus, ab atrocissimis criminibus, non patratís tantum, sed ἐν ἀεὶ ἀπέσις adhuc patrandis, absolunt. Quis immanem, hoc ipso, illos peccandi licentiam sceleratis facere, cordatè negabit?

δ. Jactant iidem, Papam Christi regnantis in Ecclesia vice fungi, qui cultus religiosos, & Sanctos cultuum ritus sancire, legesq; ferre possit, quæ piorum conscientias, sub peccato mortali, obligent: ex quo fit, ut gravi partim à Judæis, partim à Gentilibus, mutuatorum, partim noviter confictorum & introductorum onere & mole Ecclesiam obruant, quibus ad gratiam accipiendam, ad peccatorum veniam obtinendam, & alios effectus spirituales producendos, mirificam vim tribuunt, eorumque observatiorem necessariam & meritoriam faciunt, velut discrimen ciborum, & calibatuum Clero impositum, contra 1. Timoth. c. 4. v. 3, 4. Hebr. 13. 4. &c.

Ufus ad Correctionem illorum,

I. Qui occasione doctrinæ de Libertate Christiana, in duplicem impingunt scopulum, Superstitionis & Licentiæ.

a. Superstitionis, quando cultum & religionem in illis rebus collocant, in quibus Deus eam nunquam posuit, aut quando plura statuunt adiaphora, quàm par est, quibus ita inhærent, ut sibi solis obtemperari velint, &, quasi adiaphora illa planè necessaria essent, quotquot cum ipsis non sentiunt, posthabita charitatis lege, condemnant, & à fratrum communiione excludunt, quos illo Greg. M. Episc. Rom. dicto retundimus: in una fide nihil offit Sancta Ecclesia diversa consuetudo. Superstitio etiam est, per se liberis ritibus externis ita adherere, ut peculiaris quedam significatio illis adscribatur, quia ritus significantes mysticos in Ecclesiam N. T. introducere, novum est Christi faciei velamen imponere. Marc. 14. 65. Confer Theatr. Part. VI. p. 849. 855.

b. Licentiæ carnalis, seu Libertatis peccandi, quasi liceret, quicquid libet, & libertatis esset, ea, quæ Deus vetat, agere, & quæ jubet, omittere, ex quo dissoluti mores, & magna peccandi securitas enascitur.

Et

Et sunt quidem, qui hęc & illic ita impingunt, ut aut superstitioni, aut licentię carnali, doctrinam Christianam accommodent, & ex ea docere præsumant, quę aut in scopulos non necessarios conscientias involvunt, aut laxiore docendi ratione peccantium manus confirmant.

II. Qui libertatem semper crepant, & frequenter in ore habent, per eam verò non nisi carnalis & peccatorum intelligunt licentiã: hinc clamitant, se non amplius detineri rigore legis, sed sub gratia Evangelii liberos vivere: Deum esse misericordem, qui neminem, ad minimum peccatum, in infernum præcipitet. Sed meminerint, libertatem non esse arripiendam, ut carni datam occasionem, Gal. 5. 13. Meminerint, intelligentiam carnis, mortem esse. Roman. 8. v. 6. & quotquot Dei gratiam ad ὁστέλυσαν trahunt, ad damnationem esse præscriptos. Judæ v. 4.

III. Qui sub prætextu libertatis, cum quibuscunque conversantur lupis, ululant, corollas precatorias, (Pater noster) secum circumferunt, apud Pontificios promunt, coram Deo Missatico in genua procumbunt &c. Et, quando inter Evangelicos vivunt, eorum ritibus, quasi Papisticarum superstitionum jurati hostes essent, se totos conformant, immemores illius Christi sententię, Matth. cap. 6. v. 24. Apoc. 3. 16. Entweder gar mein: oder laß gar seyn/ Matt. cap. 12. v. 30.

Ulus ad Consolationem.

I. Libertatis Christiana, cujus finis primarius est gloria Dei, 1. Cor. 10. 31. & secundarius, partim spontanea servitus Deo exhibita, Rom. 6. v. 13. partim ædificatio infirmioris proximi, 1. Cor. 9. 19. Libertatis, inquam, hujus Christiana beneficii magnitudo, magnam consolationem piis omnibus præbet, nam

a. Hujus sensus, tanta piorum animos fiduciã perfundit, ut opera sua, quantumvis imperfecta, & tantum inchoata, ipsosque adeo conatus suos, per & propter Christum, qui illos in libertatem asseruit, Deo gratos esse, & infirmitates suas, clementissimè sibi condonari, planè persuasum habeant. Filii Dei jam sunt, qui propter promissiones Dei liberaliùs tractantur, quàm Servi peccatorum, perpetuis minis territi. Operibus suis non confidunt, sed misericordiã Dei freti, intrepidi ad thronum gratiæ accedunt. Eph. 3. 12. Heb. 4. 16.

b. Ipsi Servi & ancille, qui à duro mancipiatu, per Christianos Imperatores, inter Christianos sublato, liberati, aliis tamen, ut se

honestiùs sustentent, adhuc pro mercede serviunt, hoc solatium habent, quòd à spirituali servitute liberati, nunc, sive Judæi sint, sive Græci, sive servi, sive liberi, sive masculi sive fœmina, unus sint in Christo Jesu, Gal. 3. v. 28. Filii nempe Dei per fidem. Gal. 3. 26. Si filii, etiam hæredes, &c. Rom. 8. 17.

c. Auget fidelium consolationem, quòd triplex Adamo con-
creata, sed per lapsum amissa, libertas, nobis per Christum est restituta.

Gaudebat Adam, ad imaginem Dei creatus, *Libertate*,

1. *Culpa*, quia vacavit omni peccato & injustitiâ.

2. *Arbitrii, seu voluntatis*, quia donatus fuit vero intellectu, & conformi voluntate, unde factus fuit *Dominus universi*, cum primis propriarum cogitationum, conatum & actionum. Syr. 15. v. 14, 15.

3. *Pœna*, quia caruit omnibus calamitatibus & ærumnis, morteque temporali & æternâ.

Eximiam hanc libertatem per lapsum amisit, & in triplicem Servitutem se præcipitavit. In Servitutem,

I. *Culpa*: totus enim homo naturâ peccator est, injustus & obnoxius iræ.

II. *Arbitrii*, quod in rebus sacris & divinis nullam ampliùs habet libertatem. 2. Cor. 3. 5. Jer. 13. 23. Nihil rectè agere potest; quicquid in homine est, ante suam regenerationem, contra Deum militat.

III. *Pœna*. Innumeris subiectus calamitatibus, temporali-
bus & æternis: unde etiam postquam Deus hominem vidit amen-
tem, rebellem, errantem, & voluptatibus servientem, Tit. c. 3. v. 3.
variis etiam illum legibus & ceremoniis subjecit, quibus tanquam peda-
gogiis, stulti illius affectus & erroneæ cupiditates coërcerentur. Io!
igitur, ovate, gaudete & exultate *Filii Dei*: Per Christum in *Libertatem iterum sumus vindicati*.

α. *Fam liberi à culpa*, quam Christus expiavit. Dan. c. 9. 24. & chirographum nobis contrarium, cruci affixum delevit. Colofs. 2. 14.

β. *Fam etiam arbitrii nostri aliqua pars nobis est restituta*, quando per Spiritus S. gratiam corrupta natura nostra restauratur, us
promptè & spontaneo Spiritu Deo servire incipiat. Psalm. 110. 3. *nam ubi Spiritus Domini est, ibi Libertas est*. 2. Corinth. 3. 17.

γ. *Liberi etiam sumus per Christum à pœna*. Quamvis enim
paternæ

paternæ castigationes nobis adhuc sint sustinendæ, donec ab omni malo plenariè eripimur, *castigationes tamen illæ, non ab irato Deo, sed à reconciliato & benigno Patre immittuntur.* Hebr. 12. 6. seqq. Etsi libertatem gloriæ nondum possideamus, certi tamen sumus, nos per libertatem gratiæ, jus jam habere ad illam.

Dulce nomen Libertatis esse, Cicero olim pronuntiavit. Longè dulcior Libertas in Christo & per Christum. Qui hujus bonum in corde suo sentit, vel in summis angustiis & tribulationibus lætatur, quia hæc Libertas à nulla calamitate vinci, nec ab ullo hoste subjugari potest. Tres Socii in ignea fornace, Daniel in fovea Leonum, Joseph in carcerem compactus, Johannes Hussus & innumeri alii Hieromartyres, inter ipsa vincula liberrimi fuerunt.

II. Libertatem, quam in Christo habemus, *opponere* possumus

a. *Multitudini & Magnitudini peccatorum nostrorum,* Rom. 5. 20.

b. *Satanæ fidelium insidiatori & accusatori.* Apoc. 12. 10. Rom.

c. 8. v. 33, 34. Luc. 11. 22.

c. *Legi accusanti & damnanti.* Rom. 8. v. 3, 4.

d. *Ipsius conscientia terroribus.* Hebr. 9. 14.

e. *Omnibus calamitatibus,* Rom. 8. 35. seq. & ipsi æternæ

damnationi, è cujus potestate sumus erepti. Rom. 8. 1.

III. Cum primis magnam Ecclesiæ N. T. consolationem affert, *Libertas à jugo traditionum humanarum, cujus servitute Majores nostri sub Papatu premebantur, & premuntur adhuc, quotquot ex dira illa & dura servitute nondum sunt liberati. Traditionum humanarum licentia, omni tempore, fons fuit errorum, à Deo in V. & N. T. rejecta,* Esaj. 1. 12. Cap. 29. 17. Matth. 15. 9. *Traditionibus originem suam debent fragmenta & fabula Gentilium de Diis suis Ethnicis, & omni eorum idololatriæ cultu, Bacchanaliumque, Floralium, Cerealium, Saturnalium institutis festis, de quibus vide Clariss. Stukium libr. de Sacris & Sacrificiis Gentil. Et Celeberr. Hospinianum de Festis Ethnicorum. His originem suam & genitalia debet tota Papiſtarum Religio: Simplici & rudi plebeculæ imposta Ecclesiæ Romanæ dogmata, de delectu ciborum, de Cœlibatu Clericorum; de Confessione auriculari: de peregrinationibus religiosis, de idololatriæ missa: de invocatione Sanctorum: de purgatorio: de indulgentiis, & sexcentis hujusmodi aliis ἀρχαῖς & ἀνθρώποις, quæ misera sunt & tyrannica servitus, quæ veram, in quam nos Christus asseruit, libertatem tollunt, & laqueum hominum conscientii injiciunt.* Conf. Theat. nost. P. I. p. 207-215. & P. VI. p. 853. seq.

Uſus ad Exhortationem ,

Quam variam doctrina de Libertate Chriſtiana ſuppeditat.

I. *Toto corde amplectamur, amemus & tueamur Religionem Chriſtianam*, quia per hanc ex miſera ſervitute erepti, eximiam libertatem in Chriſto confequimur.

Multi *Majores noſtri* Helvetii paſſi ſunt, ut libertatem à tyrannidis, quâ premebantur, jugo, conſequerentur. Quid nos non faciamus, pro conſequerenda Libertate Chriſtiana, ut, qui *vincti eramus*, carceris conſequamur aperturam? Eſa. 61. 1.

Nero libertate olim donavit Græcos, & L. Cinna multa Romana mancipia, cùm ipſi interim miſerrima libidinum ſuarum mancipia manſerint. *Spiritalis noſtra Libertas ſolius Dei & Chriſti donum eſt*, Pſalm. 144. v. 2. quam per fidem acquirimus. 1. Timoth. 3. v. 13. Ut acquiramus, *omnem moveamus lapidem*. Quotquot libertatem olim conſecuti ſunt, *candidis indui veſtibus, & aureo annulo ornati*, ad Dominorum ſuorum menſas fuerunt admiſſi. Etiam nos *albû in Chriſto ornatur veſtibus*, Apocal. 3. v. 5. Eſaj. 52. v. 1. togâ ſalutis & tunicâ juſtitia, Eſaj. 61. 10. & aureo donorum *Spiritus Sancti annulo*, Eph. 4. 30. cujus figura fuit annulus, quo Pater ab exitio reducem filium ornavit, Luc. 15. 22.

Libertatis hujus privilegia, in Scripturarum Sacrarum diplomate continentur, quæ ſunt: *Sapientia, Juſtitia, Sanctitas & Redemptio*, 1. Corinth. 1. 30. vel *Communio Sanctorum, Remiſſio peccatorum, reſurrectio carnis & vita æterna*.

II. *Ut certi ſimus*, nos à ſervitute peccati, à poteſtate Sata-næ & rigore, atque execratione Legis liberatos eſſe,

a. *Siſtamus nos ad tribunal judicii divini, & accuſemus nos ipſos*, peccavimus, fatemur, pœnitet. Job. 9. 2, 3.

b. *Utamur libertate nobis parâ, & provocemus ad Dei miſericordiam, factam nobis in Chriſto Jeſu*, Luc. 1. v. 78, 79. & peccatorum condonationem humiliter & fiducialiter petamus, Luc. 18. 13. & v. 38. O Jeſu, fili Dei, miſerere mei.

c. *Polliceamur Deo ſancta anima noſtra ſtudia, voluntatem, reſipiſcentiam, fidem, obedientiam*.

d. *Serviamus Deo in cultu voluntario*, Pſal. 110. 3. Oremus ex Pſalm. 143. 10. *Sponte fungamur omnibus Chriſtianismi noſtri partibus*, Tit. 2. 12. Phil. 1. 27. Col. 1. 10. Oremus ex Pſ. 51. 13, 14.

e. *Creaturis à Deo nobis in usum nostrum concessis liberè utamur.* Tit.3.5. Rom.14.14. *quia dominium in creaturas, quod in Adamo amisimus, in Christo recuperavimus,* I. Cor.3.22. & credamus, certorum ciborum, certis temporibus, & usûs conjugii, certo hominum ordinì, cum obligatione conscientiaè prohibitionem, doctrinam Dæmoniorum rectè appellari. I. Tim.4.1-4.

f. *Lætetur in Domino, quòd Libertatem habemus, in omni, quæ nos premit, necessitate, per preces veniendi ad Patrem.* Roman.5.2. Eph.3.12. ut ab eo, in nomine Christi, per preces impetremus, quibuscunque opus habemus. Joh.16.23.

g. *Lætetur etiam ex animo, quòd exantatis tandem & superatis hujus seculi miseriis, libertatem habemus introeundi in ipsum cælum,* Hebr.10 v.19,20. in domum Patris. Joh.14,1,2. ut gloriâ ibi fruamur æternâ. Ps.36.9,10. & Ps.16.11.

III. *In libertate, quam Christus nobis acquisivit, firmiter persistemus, & in doctrina Evangelica, quæ hanc libertatem nobis revelat. Stemus in confessione fidei orthodoxæ: tueamur hanc animosè & constanter, quicquid tandem nobis eveniat, sicut fidus miles, quì etiam cum vitæ jactura, locum suum & stationem tuetur. Demus operam, ut religio non in mente tantùm & memoria hæreat, sed ut radicata sit in affectibus & cordibus nostris, ita ut contrario servitutis jugo nunquam iterùm nos implicari patiamur.* Galat. cap. 5. vers.1.

IV. Libertate nobis partâ ne abutamur.

Abutuntur hâc

α. *Qui plura introducunt adiaphora, quàm Deus* Sic Corinthii olim fornicationem inter adiaphora retulerunt, & multi hodie ebrietatem, gulositatem, &c.

β. *Qui inter rem indifferentem, & ejus usum non distinguunt:* ita multi luxum vestium, & usum aleæ atq; chartarum &c. rerum adiaphorarum nomine excusant.

γ. *Qui quotidie cuticulam curant delitiosè, & vestiuntur sumptuosè, sicut dives ille rusticus, Luc.12.19. & epulo, Luc.16.19. atque ita donis Dei immoderatè utuntur, vino ad ebrietatem, & divitiis ad voluptates, luxum & ostentationem.*

V. Ut libertate partâ rectè uti possimus,

aa. *Demus operam, ut simus renovati & sanctificati.* Rom.12. v.2. nam puris demùm omnia sunt pura. Tit. 1. vers.15, Persona

prius Deo placeat oportet, & tum placebunt ei quoque actiones illius.

bb. *Utamur creaturis cum gratiarum actione*, 1. Tim. 4. 4. Rom. 14. 6. non ad carnis *ἑσθίαν*, ut expleantur cupiditates illius. Rom. 13. 14. *sed ad conservationem natura*: tantum enim, ut Cicero ait, cibi & potionis est adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.

cc. *Patienter feramus, ut libertati nostra in rebus adiaphoris certi limites & modus per Leges vestiarias, sumptuarias, &c. ponantur.* Leges enim istæ libertatem Christianam non abrogant: sed creaturarum tantum communiorem usum, magno Reipubl. & œconomiarum bono, moderantur, & non tam conscientiam obligant, quàm hominem externum & mores communes. Quando igitur Paulus Rom. 13. 5. propter conscientiam Magistratui subjici jubet, *res per se adiaphoras*, per legem Magistratus, non facit per se necessarias: facit tamen necessarias ratione necessitatis externæ, ad vitandum scandalum, & contemptum autoritatis. In rebus igitur per se indifferentibus, quibus quis uti, vel non uti potest, si videretur scandalum & contemptus, propter conscientiam tamen Magistratui obtemperandum est, non tam propter Legem Magistratus, quàm propter Legem Dei, quæ conscientiæ nostræ præcipit, *ut Legibus Magistratus in illis obediamus*, quæ non sunt contra Deum.

dd. Libertatem nostram ita conservemus, *ut aliis suam non eripiamus, nec etiam cuiquam peccandi occasionem demus*, aut scandalum objiciamus. Luc. 17. 1, 2.

Quòd si Christianâ libertate hâc ratione utamur, ex eo apparebit, nos ex Regno tenebrarum erutos, & in Regno Gratia Dei translatos, verâ libertate in Christo Domino nostro frui. Joh. 8. v. 32, 36.

Hac de Libertate Christiana.

Epilogus.

Non ampliùs sumus Servi, sed Libertini, & filii Dei, qui Spiritum adoptionis accepimus, per quem clamamus *Abba Pater*. Rom. 8. 15. *Oremus, Abba Pater, sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra.* *Abba Pater, da nobis panem quotidie. Abba Pater, remitte nobis debita nostra. Abba Pater, ne inducas nos in tentationem, sed libera nos ab omni malo.* Tu Pater sanctissime, in libertatem nos ex servitute infernali asseruisti, tu in ea nos tuere, ut verâ libertate filiorum Dei aeternum gloriosâ in sempiterna se-

cula

cula gaudeamus. Tibi æterno Patri, Filio & Spiritui S. sit laus, honor & gloria in secula. Amen.



Libri I.
DE COGNOSCENDO DEO.

Cap. XXXIV.

De *judicii extremi antecedentibus, adventu Christi, & Carnis resurrectione.*

CONCIO I.

De Adventûs Christi ad iudicium
Certitudine.

Matth. c. 24. v. 30.

Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potentia & gloria multa.



De adventu Christi Scriptura S. frequenter loquitur, unde Matth. 11. 3. ὁ ἐρχόμενος, venturus ille appellatur. Meminit autem triplicis potissimum adventus illius:

1. *Adventus in carnem*, quem V. T. fideles crediderunt, & serid expetierunt. Pf. 14. 7. Esa. 45. 8. Luc. 10. 24.
2. *In corda fidelium*, Joh. 14. 23. Eph. 3. 17.
3. *Ad iudicium universale*. 1. Thess. 4. 16.

Per aliam distributionem, dicimus: *Adventum Christi* in Mundum, fuisse,

I. *Legalem*, in quo Legem tulit ex monte Sinai, Exod. 19. & 20. Quod opus divinum *ad extra*, Filio cum Patre & Spiritu S. fuit commune.

II. *EVAN-*